



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHENSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XII. An sit maior auctorias Concilij, quàm Scripturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

tur ab episcopatu, vel sacerdotio. Ita in Nicæno Concilio  
damnati sunt & in exilium acti sex Episcopi vna cum Ario, ut  
scribit Ruffinus lib. 10. historiæ, cap. 5. In Ephesino Concilio  
damnatus, & depositus est Nestorius, ut Euagrius testatur  
lib. 1. cap. 4. In Chalcedonensi, action. 3. depositus est Dio-  
scorus, & action. 4. decem Episcopi Ægyptij iudicantur hæ-  
retici, quia nolebant acquiescere decreto prolatu action. 3.  
In Concilio V I. act. 8. & 12. damnatur, & deponitur, & in exi-  
lium eiicitur Macharius Patriarcha Antiochenus cum ali-  
quot suis discipulis, & act. 15. damnatur, & deponitur Poly-  
chronius Presbyter. At si Concilia ista ante confirmationem  
Pontificis errare potuissent, non fuissent illi manifesti hære-  
tici, qui ante confirmationem resistebant.

## C A P V T XII.

*An sit maior auctoritas Concilij, quam Scri-  
ptura.*

**D**I XIMVS de auctoritate Conciliorum absolute  
considerata, nunc de eadem dicendum est per  
comparationem ad alia fidei principia, id est, ad  
verbum Dei scriptum (nam de traditionibus ea-  
dem est ratio) & ad Pontificem. Et quidem hæretici huius  
temporis passim clamant nos subiictere Scripturam Conciliis.  
**C**ALVINVS lib. 4. Institut. cap. 9. §. 14. *Subiicere in eum modū,*  
inquit, *Des oracula hominum censura, & ideo rata sint, quia*  
*placuerint hominibus, blasphemia est indigna, que cōmemo-  
retur.* Similia apud alios passim inueniuntur. Ceterū hæc  
non nostra blasphemia, sed ipsorum impostura est, Catholi-  
ci enim Scripturam sacram non subiiciunt, sed anteponunt  
Conciliis; neque in hoc vlla controuersia est, quod si inter-  
dum Catholicī aliqui dicunt, Scripturam pendere ab Eccle-  
sia, sive à Concilio, non intelligunt quoad auctoritatem, &  
secundum se, sed quoad explicationem, & quoad nos.

Obseruandum est igitur, multiplex esse disserimen inter  
Scripturam sacram, & Conciliorum decreta, ex quibus in-  
telligitur, Scripturam præponi Conciliis. **P R I M U M** est, quod  
Scriptura est verbum Dei immediatè reuelatum, & scriptum  
quo-

quodammodo Deo dictante, iuxta illud 2. Pet. 1. *Spiritu sa-  
cto inspirante loqui sunt sancti Dei homines. Et 2. Tim. 3. 1.  
mnis Scriptura diuinitus inspirata.* Quod tamen non siccio  
telligendum est, quasi semper scriptores sacri, nouas reuel-  
tiones habuerint, & scripserint ea, quæ antea ignorabantur,  
constat enim Euangelistas Matthæum & Ioannem scripsi-  
ea, quæ viderunt; Marcum & Lucam ea, quæ audierunt;  
Lucas ipse fatetur initio Euāgelij: *Sicut tradidérunt, inqu-  
nobis, qui ab initio ipsi viderunt.*

Dicuntur igitur scriptores sacri habuisse immediatam  
uelationem, & scripsisse ipsius Dei verba, quia vel noua qua-  
dam & antea incognita eis reuelabantur à Deo, iuxta illi-  
*Psal. 50. Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi.*  
Vel Deus immediate inspirabat, & mouebat scriptores  
scribenda ea, quæ viderant, vel audierat, & eos dirigebat  
aliquo modo errarent. Ut enim dicitur verè epistola prin-  
pis, quæ a principe dictatur, etiam si is, qui eam scripsit, an  
sciebat, quæ scripturus erat; ita dicitur, & est immediata  
Dei verbum, quod scriptum est ab Euangelistis, Deo inspi-  
rato, & dirigente, licet scripserint ea, quæ viderant, vel au-  
dierant. At Concilia non habent, neq; scribunt immediatas  
uelationes, aut verba Dei, sed tantum declarant, quod  
sit verbum Dei scriptum vel traditum, & quomodo inter-  
debeat, & præterea ex eo per ratiocinationem deducun-  
tur ~~scripturæ~~ conclusiones. Itaq; Concilia cùm definiunt, qui sint libri ca-  
nonici & diuini, nō faciunt eos esse infallibilis veritatis, sed de-  
clarant solum esse tales.

Sic etiam Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. cùm defi-  
nit, verba illa: *Hoc est corpus meum, intelligi propriè, no-*  
*figuratè, nō edit, sed declarat verbum Dei. Et cùm Nicene*  
*Concilium definiuit, Christum esse homouision Patris, dedi-*  
*xit conclusionem ex Scripturis, in quibus disertè contine-  
vnum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deus*  
*ex quibus sequitur necessariò Patrem, & Filium eiusdem es-  
se substantiæ, & diuinitatis. Et similiter Concilium sextum*  
*cùm definiuit in Christo duas esse voluntates, diuinam &*  
*humanam, deduxit conclusionem ex Scriptura, in qua ha-  
betur, Christum esse perfectum Deum, & perfectum homi-  
nem.*

ALTER V

ALTERVM discrimen ex hoc primo oritur, & est; quod scriptores sacri non debuerunt multum laborare in suis libris edendis; satis enim erat, si laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia; vel ad summum reuocando ad memoriam, quæ viderant, vel audierant, & cogitarent verba, quibus ea scriberent, si scribebat historias, vel epistolas, vel aliquid simile. At Patres in Conciliis debent rem ipsam quartare, id est, conclusiones inuestigare disputando, legendando, cogitando. Vnde Act. 15. legimus in primo Concilio magnam conquisitionem fuisse factam. Idem testatur de Nicæno Concilio Ruffinus lib. 10. cap. 5. hist. Ecclesiastice, quo circa Act. 15. dicunt Patres Concilij: *Vixum est spiritui Eg nobis*, id est, Spiritu sancto nostram industriam & diligentiam adiuuante, at scriptores sacri soli Deo tribuunt ea quæ scribunt, ac propterea tam sepe repetebant Prophetæ illud: *Dicit Dominus.*

TERTIVM est, quod in Scriptura nullus potest esse error, siue agatur de fide, siue de moribus, & siue affirmetur aliquid generale, & toti Ecclesiae commune, siue aliquid particula-re, & ad unum tantum hominem pertinens; tam enim est certum & de fide, sine gratia Spiritus sancti neminem saluari, quam Petrum, Paulum, Stephanum, & quosdam alios vere Spiritum sanctum habuisse, & saluos esse, utrumque enim eadem Scriptura verissima testatur. at Concilia in iudiciis particularibus errare possunt.

QVARTVM est, quod in Scriptura non solum sententiae, sed etiam verba omnia & singula ad fidem pertinent. Credimus enim nullum esse verbum in Scripturâ frustrâ, aut non recte positum. At in Conciliis maxima pars actorum ad fidem non pertinet. non enim sunt de fide disputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum & illustrandum adferuntur, sed tantum ipsa nuda decretâ; & ea non omnia, sed tantum quæ proponuntur tanquam de fide. Interdum enim Concilia aliquid definiunt, non ut certum, sed ut probabile, ut Concilium Viennense, quod decreuit tenendum, ut probabilius, infantibus in Baptismo infundi gratiam & virtutes, ut habetur Clement. vni. de summa Trinitate, & fide Catholica. Quando autem decretum proponatur, tanquam de fide, facile cognoscitur

scitur ex verbis Concilij; semper enim dicere solent, seculare fidem Catholicam; vel hæreticos habendos, qui contrarium sentiunt; vel quod est communissimum, dicunt anathema, & ab Ecclesia excludunt eos, qui contrarium sentiunt. Quando autem nihil horum dicunt, non est certum esse de fide.

Denique, in ipsis decretis de fide, non verba, sed sententium ad fidem pertinet; non enim est hæreticum dicens in canonibus Conciliorum aliquod verbum esse supercaneum, aut non recte positum, nisi forte de ipso verbo decretum formatum, ut cum in Concilio Nicæno decretrunt recipiendam vocem ὁμοσιον. & in Ephesino vocem θεοτόκον.

QVINTVM est, quod Scriptura non eget approbatio Pontificis ut sit authētica, sed tantum ut innotescat eius Cetoritas; at Concilia etiam legitima, & generalia non servata nisi a Pontifice confirmantur, ut ostendimus quæstio superiori.

SED OBIICIVNT quidam, Gratianus dist. 19. can. in nonicis. affirmat epistolas Pontificum decretales numeri debere inter Scripturas canonicas; & d. 20. can. Decreti dicit Conciliorum canones eiusdem esse auctoritatis epistolis decretalibus; ergo etiam canones Conciliorum numerantur inter canonicas Scripturas; non ergo Scripturae præponuntur Conciliis. Præterea S. Gregorius lib. 1. epistola dicit se venerari quatuor prima Concilia, ut quatuor libri Euangeliorum.

RESPONDEO ad Gratianum dupliciter. PRIMO, cum esse deceptum ex depravato codice, quem ipse habuit Augustini; tribuit enim illum canonem Augustino lib. doctrin. Christ. cap. 8. codices autem veri, & emendati Augustini, non habent ut Gratianus refert, sed longè aliter; non enim Augustinus dicit epistolas eas esse Scripturam canonica, quas Apostolica sedes dare, vel accipere solet, ut Gratianus legit, sed iudicium de Scripturis sanctis pertinere ad Ecclesiæ, atque ad eas potissimum, quæ Apostolicas sedes, vel epistolas accipere meruerunt, quales sunt Roma, in qua sedit Petrus, & ad quam scripsit Paulus; Ephesios;

in qua sedit Ioannes, & ad quam scripsit idem Paulus; & aliæ quædam.

Dico SECUNDО, Gratianū, etiam hoc errore posito, non voluisse dicere, decreta Pontificum esse propriè Scripturas sacras, & canonicas, ut sunt Euangelia, vel Psalmi, sed esse Scripturas sacras, ut distinguātur à prophanis, & canonicas, ut distinguantur à scriptis sacrī Patrū, quæ non sunt regule, nec habent auctoritatē obligandi. licet enim canones Pontificum & Conciliorum distinguantur, & postponantur Scripturæ diuinæ; tamen suo modo sunt & dici possunt scripta sacra, & canonica, quomodo septima Synodus, actio 3. vocat decreta Conciliorū diuinitū inspiratas constitutiones. Immo Innocentius, cap. Cum Martha, extra de celebratione Missarum, vocat Scripturam sacram sententiam illam Augustini: *In iuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* serm. 17. de verbis Apostoli. Quod autem Gratianus senserit Conciliorum decreta non esse æquanda diuinis Scripturis propriè dictis, patet ex 36. caussa, q. 2. can. Placuit, ubi Hieronymi sententiam, quia munita erat testimonio diuinæ Scripturæ, anteponit Concilij decreto.

Ad Gregorium respondeo, illud *sicut sonare similitudinem, non æqualitatem*, ut illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Vel si æqualitatem sonet, dicendum erit, non comparari à Gregorio Concilia cum Euangeliis in omnibus, sed tantum in ipsa certitudine eoru, quæ in Scripturis dicuntur, & in Conciliis definiuntur. Cùm enim utraque sint infallibilis veritatis, æquè certa dici possunt, sed iam quandoquidem Concilia non sunt maioris auctoritatis, quæm Scripturæ, restat ut illud explicemus, utrum saltem maioris sit, Concilij œcumenici, quæm summi Pontificis auctoritas.

### C A P V T XIII.

#### *An Concilium sit supra Pontificem.*

**Q**VAESTIO hæc exorta est tempore Concilij Pisani, quia cùm duo Pontifices, qui simul sedebant in schismate, Gregorius XII. & Benedictus XIII. non videbantur seriò cogitare de tollendo